Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25972
Copyright: Admont, Benediktinerstift

petendum etiam nobis sincera benignitate oportet ut faveant.
neque sibi arrogent quo eis subiciamur. sed eum annuntient sub quo
eis in pace sociemur. Quid adhuc trepidas o phylosophe adver-
sus potestates et veris virtutibus et veri dei muneribus invidas
habere liberam vocem? Iam distinxisti angelos qui patris annuntiant
voluntatem. ab eis angelis qui ad theurgicos homines nescio quam
deducti arte descendunt. Quid adhuc eos honoras. ut dicas pro
nuntiare divina? Que tandem divina pronuntiant. qui non vo
luntatem patris nuntiant? Nempe illi sunt quos sacris precibus in
vidus alligavit ne prestarent anime purgationem. nec a bono ut di
cis purgari cupientes. ab illis solvi vinculis et sue potestati reddi
potuerunt. Adhuc dubitas hec maligna esse demonia ante fingis
fortasse nesci[...]re. dum non vis theurgos offendere. a quibus curi
ositate decep tus. ista perniciosa et insana pro magno beneficio di
dicisti. Audes istam invidiam. non potentiam sed pestilentiam. et non
dicam dominam sed quod tu fateris ancillam potius invidorum isto aere
transcenso levare in celum. et inter deos vestros etiam sidereos collocare.
Not. de opinione Apuleii. vel ipsa quoque sydera his opprobriis infamare? Quanto humanius
et tolerabilius consectaneus tuus platonicus apuleius erravit. qui
tantummodo demones a luna et infra ordinatos. agitari morbis passi
onum mentisque turbelis. honorando eos quidem. sed volens nolensque
confessus est. Deos tamen celi superioris ad etherea spacia pertinentes sive
visibiles quos conspicuos lucere cernebat solem ac lunam. et cetera
ibidem lumina. sive invisibiles quos putabat. ab omni labe istarum
perturbationum quanta potuit disputatione secrevit. Tu autem hoc
didicisti non a platone sed a chaldeis magistris. ut in ethereas vel em
pyreas mundi sublimitates et firmamenta celestia extolleres vitia
humana. ut possent dii vestri theurgis pronuntiare divina. quibus
divinis te tamen per intellectualem vitam facis altiorem. ut tibi videlicet
tamquam phylosopho theurgice artis purgationes nequaquam
necessarie videantur. sed aliis eas tamen importas. ut hanc velut mer
cedem reddas magistris tuis. quod eos qui phylosophari non possunt.
ad ista seducis. que tibi tamquam superiorum capaci esse inutilia ē fateris.
ut videlicet quicumque ab hac phylosophie virtute remoti sunt que ar
dua nimis atque paucorum est. te auctore theurgos homines a quibus non
quidem in anima intellectuali velut saltem in anima spiritali purgentur
inquirant. et quoniam istorum quos phylosophari piget incomparabiliter
maior est multitudo. plures ad secretos et illicitos magistros tuos quam